



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ethices Christianae, Libri Tres

Daneau, Lambert

Genevæ, 1579

Cap. VII. Primi Legis præcepti, quod est, Non habebis deos alienos coram
me, explicatio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41242



CAP. VII.

Primi Legis præcepti, quod est, Non habebis
deos alienos coram me,
explicatio.

Reo primum præceptum docet
quis sit verus Deus, & quis colen-
dus. Cur autem fuerit necesse do-
ceri quis esset verus Deus, non po-
test melius intelligi quàm ex vario eorum erro-
re qui in hoc præceptum peccant. Vera quidem
est illa Tullij sententia li. I. Tusc. Nulla est tã fe-
ra, nulla tã barbara natio, quæ non fateatur ali-
quẽ esse Deum. Sed Quis esset verus, in eo erra-
tũ est. Et tamen verum est illud, Deum verum
nunquã se reliquisse à *quod præcepit*, Actorum 14. vers.
17. quum pluias daret, quum tempestates anni
fluerent vno semper tenore. Denique quum in-
uisibilia Dei ex his visibilibus eius operibus fa-
cile intelligi semper potuerint. Romanorum
1. vers. 20. Et tamen quis esset verus Deus per se
nunquam homines agnouere: quia solus Chri-
stus est veritas & via, Ioann. 14. versu 6. & nemo
venit ad Patrem nisi per eum. Et tamen dicitur,
Illuminat omnem hominem venientem in mũ-
dum, Ioann. 1. versu 9. Resp. Duplex est lumen
datum à Christo, Vnum, quòd agnitionem vni-
uersalem Dei affert: alterum, quòd particulare
veri Dei cognitionem inserit, & donat. Illam o-
mni homini donat, hanc solis electis Christus.
Ergo nulli mortales, neque Philosophi, neque

politici, neque poetæ sine Christo, & sine verbi diuini luce intellexerunt vnquam, quis esset verus Deus: & verè dictum est, Solùm in Iudæa notus Deus. Psalmo 76. quia illic solùm verbum Dei lucebat. Huius autem Legis caput primum est, ipsum Deum nosse, soli obtemperare, solum colere, ait Lactantius libro 6. cap. 9. Non potest autem rationem hominis obtinere, qui parentem animæ suæ Deum nescit. Hæc ignoratio est summum nefas. Hæc ignoratio facit, vt diis alienis homo seruiat.

Qui igitur in hoc præceptum primum Legis peccarunt, diuersi sunt generis. Nam ex iis

Alij sunt } *id est* planè, vt Theodorus *id est*, qui apertè dixit se dubitare an essent dij, cuius libri ab Atheniensibus cremati edicto. Tullius libro primo De natura deorum. Est Scythismus.

Deum esse falsi sūt, sed eū vel habēt } Non verum quia ij vel } Plures deos constituent, est Hellenismus. Vnum superiorem, sunt Monarchitæ, & Deitæ. Non verè ij sunt vel } Iudæi, Iudaismus. Hæretici, qui illius naturam vel attributa

non agnoscunt. Exodi 34. versu 7.

Quâquam autem Paulus Eph. 2. v. 12. dicit eos qui verū Deum non habent, esse *id est*, tamen ex iis quidam apertè negant esse Deum, & huius mūdi curam & administrationē gerere, vt Psal. 14. Di-

14. Dixit insipiens in corde suo, non est Deus. Hic error videtur appellari ab Epiphanio $\Sigma\kappa\upsilon\delta\iota\sigma\mu\acute{o}\varsigma$, barbaries summa, sect. 1. lib. 1. Panarij sui.

Qui deos plures colunt & venerantur, ij appellantur $E\lambda\lambda\upsilon\epsilon\varsigma$, & eorum error $E\lambda\lambda\upsilon\iota\sigma\mu\acute{o}\varsigma$, ab eodem Epiphanio: quanquā cuique Deo ij suum munus in cælo tribuunt, de quo extat longa disputatio apud Augustinum libro 7. De ciuitate Dei, cap. variis. Ex quibus ipsis diis aij sunt, vt refert ex Varrone Augustinus libro 6. De ciuitate Dei cap. 6.

{ Poetici, Ex diuerso hominum
 { Physici, ingenio & iudicio
 { Politici, constituti.

Qui vnum quēdam velut monarcham omnium statuunt, & eum esse quandam summam potestatem omnia administrantem volunt, siue plures illi deos adiungant, siue non: ij Monarchitæ dicuntur, & Deitæ. Sic ait Vergilius lib. 2. Geörgic. (ad quos & Papias referri possunt, qui habent Titulos deos)

-namque denique per omnes

Terrâsque tractûsque maris, &c.

Hos irridet Sat. 12. vers. 28. Persius,

De Ioue quid sentis? estne ut prapondere cures

Huic quenquam? an Statio? Iustinus Martyr de Monarchia scripsit.

Qui Deum vnum fatentur extra Christum, ij sunt Iudæi, & eorum error Iudaismus. Negant enim Christum.

Qui denique suas Deo proprietates non relinquunt, sed denegant, etsi ex verbo se Deū cognoscere, & Christum fuisse fateantur: ij sunt

hæretici, quales sunt Manichæi, & Marcionitæ, qui negant eum esse mundi creatorem: quales & Sabelliani, qui negant tres diuinas hypostases. Hos omnes damnat hoc præceptum: Arriani, qui negant Christum Filium Dei verum esse Deum & Patri *ὁμοούσιον*.

Demum qui Deum ignotum colunt, quales Athenienses olim, Actorum 17. hoc præcepto damnantur.

Hoc itaque primum præceptum definit, quis sit verus Deus, ne turba alienorum deorum, aut consuetudine idololatrarum ius illi suum auferatur. Duplici verò ratione hîc se designat Dominus. Primum, ipsa personæ suæ demonstratione, quæ hoc verbo fit. *Ego sum, & Coram me*. Persona enim loquentis non modo continetur hîc, sed digito penè ipso demonstratur & subiicitur oculis. Deinde describitur ex variarum qualitatum & attributorum enumeratione, *Ego, qui ad te loquor, sum ille Deus creator omnium, Deus Abraham, Isaac, & Iacob, Deus qui me patefecisti patribus tuis, & proximè tibi, & Mofi.*

2. Se designat Dominus à remotione cæterorum similibus, qui more loquendi, vel opinione hominum pro diis habentur. Omnes enim, ait alij sunt dii fictitij, & alieni à diuinitate, & ego sum solus Deus: & nemo alius, præter me, Deus est. Ad hanc rationem sunt varij loci Scripturæ accommodandi, Isaia 43. & 44. *Faciétne homo sibi deos?* Hieremia 16. v. 20.

Ergo docemur pro vero Deo habendum esse solum hunc, Nimirum qui se ijs ferè epithetis ab aliorum falsorum (sunt enim præter hunc vnum

num omnes alij falsi) deorum turba secernit & semouet, Deus Abraham, Isaac & Iacob. Exod. 3. ver. 9. Sanctus Israel. i. Samuel 15. & cuius varia sunt epitheta & attributa. Exod. 34. Deus, inquam, ille, qui se verbo suo per Mosem, Prophetas & Apostolos prolato patefecit, Deus vnus & trinus. Alij, non sunt dij quocunque more, & quantumuis longa consuetudine pro diis habeantur. Galat. 4. v. 8.

Obstat locus 1. Corinth. 8. versu 5. & Psalmo 82. versu 1. Psal. 8. versu 6. Resp. Qui in celo & in terra dij nominantur, nō natura, neque proprie, sed illius vnice diuinitatis participatione dij appellantur, quōd in iis rebus aliqua eius scintilla & splendor cluceat, non essentię quidē: sed tantum potestatis, vti in Magistratibus & Angelis beatis.

2. Obstant verba textus, *Alieni dij*, ait Lex, vel *alij*. Et ita Psalmo 81. versu. 10. deos foraneos non habebis. Ergo, dicet quis, non exiit reliquos diuinitate hoc praeceptum: sed vetat ab hoc populo pro diis haberi & coli, quasi solus ab eo velit Deus haberi, quia hunc populum sibi pro suo asseruerat. Deuteron. 32. Equum enim est quemque ab iis coli populis, quibus benefecit. Veluti deum Astaroth, Tyrriorum: Astarten. i. lunam Damascenorum: Dagon Philistinorum: Baal Chaldæorum: Moloch Moabitaram, non vult ab hoc populo pro diis coli, quia alios sibi illi populos vindicauerint, à quibus colebantur. Resp. Primum vox ipsa non est גר. i. peregrinus, vt tantum peregrinos excludat: sed est אלהים alius, cuius significatio eadem

est hîc atque huius Latinæ *Nullus*. Præterea hoc præceptum in vniuersum definit, quis sit verus Deus: non autem *ἄνθρωπος*, & ratione huius tantum populi. Nam omnibus data est populis hæc Lex, & perinde est atque si Tyriis, Moabitis, Chaldæis alij dij esse veterentur præter hûc vnũ, qui loquitur in hac Lege. Ergo paralogismus est, quia dictum simpliciter restringitur ad dictum secundum quid.

Habebis. i. coles, credes, adorabis, quatuor genera cultus complectitur. Vtrum autem præter veram religionem alia à Christiano principe in suo territorio propter communem ciuium, & subditorum tranquillitatem permitti debeat, quæsitum est. Extant exempla eorum qui permiserunt, vt Gratiani, Socrat. libro 5. cap. 2. & Iouiniani apud Themist. Hoc tamen damnat Chrysoſtomus Homil. 49. in Matth. & laudatur Theodosius à Socrate lib. 5. cap. 10. qui omnes, præter veram, edicto sustulit. Cuius exemplum omnino sequendum est: nec aliud est à Christiano principe constituendum, vt apparet ex hoc præcepto. Rhetorici vt hæretici sunt damnati, quod quasuis admitterent religiones.

Coram me, dupliciter explicant. Alij vertunt, ante me. i. superiorem potentiorẽque me aliũ neminẽ statues, & existimabis, quasi non recuset turbam deorũ sibi circũponi & addi: sed velit se præferri tantũ, qualis est li. 1. Met. Iupiter Ouid. & Homericus lib. 1. Il. ipse Iupiter sublimiori folio sedet: ceteri in subſelliis & *χαυαί*, id est, humi. sed, Gloriam meam alij non dabo, ait Deus.

Alij explicāt quasi parem & æqualem vetet, quum ipse colitur, admisceri nō ita est. Nā non vult se in turba Deū agnosci, velut agnouit Nabucodnosor, & voluit agnoscere Tyberius Cæsar, ex decreto Senatus, vt tradit Tertull. in Apologetico, & Orof. in historiis; sed omnino quicquid pro deo siue palām siue clām ab hominibus habetur, eū de gradu deicit & exturbat. Ergo ait, *Corā me*. i. vero animo, vera mente, vero cultu, quia interna video, ne homines putet se tenebras mihi obiicere posse. Itē, *Corā me*. vt aperte demonstrat quem agnoscere pro vero Deo debeamus, ne vtroque pede claudicemus, vel altero. i. Regum 18.

Pœna huius Legis violatę fuit mors apud Hebræos. Sacrificans diis alienis præterquam Deo vero, eradicabitur & tollerur. Exodi 22. versu 20. & hæc quidem corporis. Animi pœna, mors æterna.

Quę autem fuerint de religione reliquorum hominum leges, dici potest vno verbo, Nimirū quod recitat Cicero libro 2. De legibus, Separatim nemo habessit deos, nēve nouos, siue aduenas, nisi publicē ascitos, priuatim colunto: & hoc est carmen Critolai in Aureis carminibus,

Σεβᾶ μὲν πατρίσθαι θεῶσ, ὅμοιοσ δὲ ἀκενῆσαι.

Et Xenophon recitat accusationem à Melisso factam libro 1. *Ἀπομνηστικῶν*. contra Socratem.

Romani Imp. post Constantinū, verū Deum publicē agnouerunt, nō prius. fidē autē Ecclesię Romanę sacra Epist. missa profitebantur, vt est in C. De Trinitate, & constat exemplis vete-

Cap. 8. ETHIC. CHRIST.
rum Constantinopolitanorum Imperatorum
ita ab iis fuisse diu factitatum.



CAP. VIII.

Secundi Legis diuinæ præcepti, quod est, Non facies tibi
sculptile, &c. expositio.

HOC autem secundum præceptum ha-
bet duo summa capita. Primum, Legis
constitutionem, seu ordinationem. Se-
cundo loco ipsius sanctionem, i. pœnã
præmiũque quod additum est. Cur autem se-
cundo loco collocetur, quæ situm est, & vtrum
appositè. Et respondet Thomas 2. 2. Quæst. 122.
aptè collocari. Vti enim in generatione anima-
lis prima & potissima pars primum cõstituitur,
sicut cor: tum secundo loco impedimenta re-
mouentur. Sic in religione primum ipsa boni-
tas, i. Deus, explicanda fuit: secundo loco illius im-
pedimenta, nimirum idola, remouenda. Verior
ratio est, quòd quum Dei cognitio, vt ait La-
ctantius, ad religionem, quæ est verus veri Dei
cultus, referatur, velut ad suum propriumque fi-
nem. Roman 1. versu 21. in verbis, Quum Deum
cognouissent, non glorificauerunt vt Deum,
Deuter. 8. versu 1. Postquam de Deo vero quis il-
le sit, dictum est, & præceptum datum: secundo
loco de eius religione & vero cultu dicendum
fuit. Primum enim in iuris cõstitutione de per-
sonis, post de rebus & qualitatibus agendum
est, quia